

DISSERTATIO

CHRONOLOGICO-HISTORICA

DE ÆTATE

Petri Senioris, Johannis, Mariniani, & Johannis utriusque.

CAPUT PRIMUM

Rubeo, & Agnello diversè tradita laudatorum Episcoporum ætas.
In certa capita argumentum dividi, & pertractari debere.

Rubei, ut & hic fiat, quod in precedentibus Dissertationibus factum est, sententia tradenda, à quo recentiores recedere nefas duxere. Is itaque Agnellum Episcopum mortuum anno 566. Kal. Augusti cum tradidisset Petrum electum ait anno 568. XVII. Kal. Octobris. Hunc verò tradit obiisse circa annum 575. XVI. Kal. Septembris. De tempore, quo sequentes Episcopi sunt ordinati nil certi asserens, obitus tantum eorum designat, Johannis videlicet anno 595. III. Idus Januarii, Mariniani anno 605. X. Kal. Novembris, Johannis (utrumque enim unum fuisse arbitratur) ætatem usque ad annum 610. pronovet.

II. Que de his Noster exhibet hæc ferè sunt; Agnellum depositum Kal. Augusti Ind. III., quod corrigendum ostendimus, & reponendum Ind. XIV. anni 566. Petrum secunda Indictione consecratum Romæ absque jejunio XVII. Kal. Octobris, obiisse XVI. Kal. Septembris, & sedisse annis VIII. mens. II. dieb. XIX. Johannem defunctum die XI. Januarii, postquam Episcopatus insulas gessisset annis XVI. me. s. I. diebus XIX. Marinianum decessisse X. Kal. Novembris. Johannem Mariniani successorem sedisse annis V. mens. X. dieb. XVIII. Johannem verò alterum annis XVIII. mens. VI. dieb. VIII. Singulorum verò vitis plura adnectit ad secularem Historiam spectantia ex Pauli Diaconi libris, quos de Langobardorum gestis habemus, ferè descripta. De his, ut quantum fieri potest, Chronologiam ad hosce Episcopos spectantem digerimus, agendum est, etenim aliàs plura satis complexa extricare vix sperandum, cum & Agnellus sua habeat, in quibus implicatur, vel decipitur, & in numeralibus notis multa Exscriptoris vitio insanabiliter laborent. In eo turpiter lapsus hic Agnellum ante omnia lubet adnotare, quod Petrum hunc cum Petro Symmacho Romano Pontifici coævo confundens, eum in urbis Synodo sedisse tradit. Ut autem reliqua clarè, quo ad fieri poterit, ordine aliquo digeramus, de singulorum Episcoporum ætate distinctè, & per capita agendum veor.

CAPUT SECUNDUM.

Petri senioris ordinatio ab ejusdem electione distinguenda. Diuturnioris interpontificii causa. Johannis Episcopi initia. S. Severi Basilica restituta. Inscriptio ad eam rem spectans. Johannis obitus certo tempore assignatus.

I. Ceteris adeò characteribus Petri senioris ordinatio explicatur, ut de eadem dubitari nequeat. Ille, inquit Noster, secunda indictione

A consecratus est Romæ absque jejunio XVII. Kal. Octobris. Indictio secunda à die prima Septembris anni 568. decurrere cœperat, & dies 15. ejusdem mensis Sabbatum fuit Cyclo Solis XVII. Litera Dominicali A. G. ordinatus dicitur absque jejunio, id est ante jejunium septimi mensis, quod sequentis, seu intrantis hebdomade diebus futurum erit. At vespere, itaque ejus Sabbati ordinatus est Petrus, jam enim invaluisse crediderim morem, de quo vetus Ordo Romanus à Mabillonio editus de Gradibus Romane Ecclesiæ, ut Episcopi nocturno tempore benedicerentur, nocte videlicet Dominicam diem præcedente. At de hæc aptius nonnulla adnotabimus infra ad Petri hujus vitam. Cum autem ordinationis Petri diem, mensem, annumque certum habeamus, & Prædecessorem obiisse statuerimus anno 576. longius interpontificium duorum annorum, & mensis unius cum dimidio admittere cogimur, indeque adigimur perscrutari, qui potuerit inter annos 8. mens. 2., & diebus 19. sedere, quod scribit Noster. Fundavit idem Ecclesiam B. Severi Confessoris Chantii, sed mors sibi interveniens reliquit, inquit Agnellus. Item in vita Successoris; post B. Petri amissionem opus inconfummatum, quod reliquerat, id est Ecclesiam B. Severi, ite consummavit, & usque ad effectum perduxit. Porro Rubens veterem Inscriptionem exhibet, quæ olim extabat, quæque hic describenda est; annum enim exprimit, quo Ecclesiæ illi coronis est inposita.

C Multorum lucens divino fabrica cultu
Esse Sacerdotem, se manifestat opus.
Cœperat egregius hoc Petrus condere Pastor,
In quo nescit eum mors retinere virum.
Sed quæ testis senex nec dum perfecta reliquit,
Romæ vir natus hocce peregit opus.
Successor prudens Petri, Pastorque Johannes,
Qui, quod inest tanto, tulit honore decus.
Ipse Pater Populi veniens Romanus ab urbe,
Digna suis meritis hæc monumenta dedit.
Hæc est prisca domus Sancto renovata Severo,
Cujus honore Deo psalluntur Cantica vero.
Quingentis Domini sub deis septies annis
Amplius his quinque, bone Lector, in ordine junge
D (1) Virginis à partu, quæ peperit absque reatu,
Imperium retinente, secundo Justiniano
Annis undenis regnando vivus in Orbe.

II. Placet hic illud animadvertere non unam Inscriptionem hanc esse, sed in uno lapide duas, quarum secunda recentior admodum prior est. Id evincit Leonini nonnihil in ea resonans, modus numerandi à partu Virginis, & strabiligio inspersa, quæ, ut versus sibi constat, Justinus inter cetera Justinianus dicitur. His tamen non obstantibus, quæ ad Chronologiam pertinent, cuncta invicem congruere arbitror; etenim inviculis nationibus demonstr-

(1) hic Versus à postremo loco in hunc restitutus est.